



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

Quid sit nihil fieri, 5

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

bras : videam viam , & vitem invium ; videam veritatem , & vitem vanitatem ; videam vitam , & vitem mortem . Illuminare Domine lux mea , illuminatio mea , & salus mea , quem timebo : Dominus meus , quem laudabo . Deus meus , quem honorabo : Pater meus , quem amabo : sponsus meus , cui me servabo . Illuminare (inquam) illuminare lux huic cæco tuo , qui in tenebris & in umbra mortis sedet , & dirige pedes ejus in viam pacis , per quam ingrediar in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei , in voce exultationis & confessionis . Vera enim confessio est via per quam ingrediar ad te viam , per quam egrediar ab invio & revertar ad te viam , quia tu es vera via vitæ .

C A P V T V .

Quid sit nihil fieri .

I. **C**onfitear ergo , confitear tibi Pater Domine cali & terræ , miseriam meam : ut me venire liceat ad misericordiam tuam . Miser quippe factus sum , & ad nihilum redactus sum , & nescivi : quia tu es veritas , & ego non eram tecum . Vulneraverunt me iniquitates meæ , & non dolui , quia tu es vita , & ego non eram tecum . Ad nihilum duxerunt me , quia tu es Verbum , & ego non eram tecum , per quem facta sunt omnia , sine quo factum est nihil : & ideo sine te factus sum nihil , quia nihil est , quod ad nihilum ducit . Omnia per Verbum facta sunt , quæcunque facta sunt . Et qualia facta sunt ? Vidit Deus cuncta quæ fecerat , & erant valde

valde bona. Omnia quæcunque facta sunt, per Verbum facta sunt: & quæcunque per Verbum facta sunt, valde bona sunt. Quare bona sunt? quia omnia per Verbum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quia nihil bonum sine summo bono est. Sed malum est, ubi non est ullum bonum, quod utique nihil est: quia nihil aliud est malum, quam privatio boni; sicut nihil aliud est cæcitas, quam privatio luminis.

2. Malum itaque nihil est; quia sine Verbo factum est, sine quo factum est nihil. Illud autem malum est, quod privatur illo bono, per quod omnia facta sunt, quæcunque sunt. At quæ non sunt, per ipsum facta non sunt, & ideo nihil sunt. Et ideo mala sunt, quæ facta non sunt: quia omnia quæcunque facta sunt, per Verbum facta sunt; & omnia per Verbum bona facta sunt. Cum igitur omnia per Verbum facta sunt, mala per ipsum non sunt. Restat igitur, quod omnia, quæ facta non sunt, bona non sunt; quia omnia quæcunque facta sunt, bona sunt: & ideo mala sunt, quia facta non sunt: & ideo nihil sunt, quia sine Verbo factum est nihil. Malum igitur nihil est, quia factum non est. Sed qualiter malum est, si factum non est? Quia malum privatio boni est, per quod factum bonum est. Esse ergo sine Verbo, malum est; quod esse non est, quia sine ipso nihil est. Sed quid est separari à Verbo?

3. Si hoc quæris scire, audi, quid est Verbum. Verbum Dei dicit: Ego sum via,

H 5

veritas,

veritas, & vita. Separari ergo à Verbo, est esse sine via, sine veritate, sine vita; & ideo sine ipso nihil, & ideo malum, quia separatur à Verbo, per quod omnia facta sunt valde bona. Separari autem à Verbo, per quod omnia facta sunt, nihil aliud est, quam deficere: & à facto transire in defectum; quia sine ipso est nihil. Quoties ergo à bono devias, à Verbo te separas, quia ipsum est bonum: & ideo nihil efficeris, quia sine Verbo es, sine quo factum est nihil. Nunc igitur Domine illuminasti me, ut viderem te; vidi, & cognovi me: quia toties nihil factus sum, quoties à te separatus sum; quia bonum, quod tu es, oblitus sum; & ideo malus effectus sum. Væ mihi misero, ut quid hoc non cognoscebam, quia te deserens nihil fiebam! Sed quid hoc quæro? Si nihil eram, quomodo cognoscere nolebam? Scimus quia malum nihil est: & quod nihil est, non est, & quod non est bonum, non est, quia nihil est. Si ergo nihil fui; cum sine te fui, quasi nihil fui, & velut idolum, quod nihil est. Quod quidem aures habet, & non audit: nares habet, & non odorat: oculos habet, & non videt: os habet, & non loquitur: manus habet, & non palpat: pedes habet, & non ambulat: & omnia lineamenta habet membrorum sine sensu eorum.

CAPVT